

tata non habet. Cæterum non est illa negatio in linea morali formaliter nec ad imputabilitatem pertinet, quia non consistit moralis privatio in quacumque negatione, aut absentia regulæ, sed quod voluntas applicetur ad operationem cum absentia illius regulæ, seu sine illa. Et sic illa absentia regulæ ante operationem nondum est mala, sed applicatio ad operationem sine illa est mala; est tamen illa absentia radix, et fundamentum privationis rectitudinis, et prout operatio illa positiva oritur ex voluntate, ut subest absentia non est a Deo, ut efficitur in esse a voluntate est a Deo; et sic illud positivum bonum cum absentia alterius boni (quæ absentia nondum est malum morale) est causa istius mali.

LXXXII. Et tota hæc doctrina docetur a D. Thoma a quo illam colligimus, ut videri potest infra quæst. LXXV, articulo primo, ubi proponens tertium argumentum, quia voluntas causans malum, seu peccatum, aut est aliquod bonum, aut aliquod malum, bonum esse non potest, quia bonum non facit malum: nec potest esse malum, quia nec malum pœnæ, quia hoc sequitur ad peccatum: nec malum culpæ, quia hoc est ipsum peccatum, non ejus causa. Respondet sanctus doctor sic: « Ad tertium dicendum, quod sicut dictum est voluntas sine adhibitione regulæ rationis, vel legis divinæ, est causa peccati. Hoc autem quod est non adhibere regulam rationis, vel legis divinæ secundum se non habet rationem mali, nec pœnæ, nec culpæ antequam applicetur ad actum. Unde secundum hoc peccati primi non est causa malum, sed bonum aliquod cum absentia alicujus alterius boni. » Ecce quomodo ponit D. Thomas pro fundamento mali, et per privationem peccati aliquod bonum, atque adeo aliquod positivum, non

absolute, sed cum absentia alterius boni, scilicet regulæ divinæ, in qua absentia talis boni adhuc non est malum, seu peccatum formaliter, sed inde nascitur. Et tamen hoc ipsum quod est voluntas cum absentia boni pertinet ad limitationem voluntatis, et mutabilitatem ejus, quæ est ex nihilo, sub qua consideratione, seu connotatione non est a Deo, sed ex nihilo, licet esse ipsi datum sit a Deo. Similiter ergo actus ut procedens a voluntate sub tali connotatione, et defectibilitate non est a Deo, licet sit in se aliquid positivum, cujus esse est a Deo, et connotatio illa ex nihilo, et sic ut effectibile est a Deo, id est, ut habet esse, quia esse est quod efficitur; ut defectibile non est a Deo, nec habet causam, sed connotatum, id est, ex nihilo, ut ex termino a quo, et tamen res positiva est, et non pura privatio, illud quod connotat hunc terminum ex nihilo.

LXXXIII. Nec obstat, quod illa entitas ut diminuta, et deficiens, seu ut connotans privationem, et nihil a quo est, adhuc est entitas, et indivisibiliter idem cum entitate, nec addit supra entitatem aliquid positivum, vel aliquid novum reale, sed est eademmet entitas, et sic formaliter etiam sub tali connotatione transcenditur ab ente. Ergo etiam ut defectiva, et sub illa connotatione est ens, et est a Deo; vel si sub illa connotatione non est ens, erit privatio, et sic in privatione consistit peccatum, quia in illa entitate ut defectibili consistit. Respondetur quod sub illa connotatione fundantis privationem est entitas, distinguo; entitas simpliciter, et absolute, qualis est entitas quæ habet bonum pro propria passione, nego; entitas ut diminuta, ut limitata, ut connotans terminum a quo, qui est nihil, concedo. Nec potest transcendere ab ente simpliciter, et absolute,

sed ab ente cum connotatione ad nihil, quia non potest ens defectibile in sua transcendentia a defectibilitate abstrahere. Nec ly ut deficiens addit entitatem, sed potius minuit, addit autem connotationem ad nihil, et sub ista connotatione est formale peccati, et sic non est a Deo, qui licet identice sit una, et indivisibilis entitas tamen subest diversis formalitatibus, et respectibus, et sub uno est a Deo, non sub alio, quia Deus licet causet totam illam entitatem, non tamen sub omni modo, et formalitate etiam defectuosa.

LXXXIV. Ad confirmationem respondetur negando antecedens. Ad primam probationem dicitur, quod posita aversione ponitur peccatum, et ablata tollitur, distinguo; posita, et ablata aversione sola, aut per se primo, nego; posita aversione ut consecuta ad conversionem, et supponendo illam, transeat. Unde non sequitur, quod aversio sit constitutiva peccati, sed quod sit aliquid necessario consecutum, aut essentialiter requisitum ut conditio, aut modus ut res constituatur, non autem ipsa forma constituens, sicut requiritur obscuritas in fide, vel recessus a termino a quo in motu, sine quibus non constituuntur ista: non tamen illis constituuntur formaliter. Ad secundam probationem dicitur, quod ante privationem tota essentia peccati constituitur, distinguo; quantum est ex parte constitutivi formalis, transeat; quantum est ex parte conditionis requisitæ aut modi ad constituendum, nego. Et ideo absolute, et simpliciter non est sine tali conditione peccatum constitutum, quia ut in re sit, non solum attendi debet formale constitutum, sed etiam conditiones, et modi requisiti, sicut sine unione corpus non constituitur a forma, et materia, nec sine obscuritate fides, nec sine re-

cessu motus, nec sine negatione lapidis homo, nihil tamen horum supponit essentiam constitutam absolute, et in re cum adveniunt.

LXXXV. Et cum instatur, quod privatio supponit essentiam constitutam in peccato si quidem est aliquid consecutum, non consequitur autem nisi ad essentiam jam constitutam, ante enim consequi non potest, respondemus negando consequentiam. Et dicimus, quod aliquid consequi ad alterum, stat dupliciter. Uno modo ad rem jam constitutam ut operetur, vel perficiatur accidentaliter: alio modo non ad rem jam constitutam, sed ad ipsam ejus constitutionem, seu ad ejus constitutivam, ut constituent. Primo modo consequuntur rem propriæ passionis, vel aliæ conditiones extrinsecæ, et accidentia, et in his verum est, quod dicit argumentum, quod si consequitur, supponit essentiam constitutam. Secundo modo se habent conditiones, seu modo intrinseci, qui ad hoc requiruntur ut res ipsa constituatur, non postquam res est constituta, sicut requiritur obscuritas in fide, recessus in motu, unio materiæ, et formæ in corpore. Et quod requiritur hoc secundo modo non consequitur ad essentiam constitutam, sed ad ipsam constituentiam ut talia, seu ad officium constituendi: et ideo neque talia se habent ut formale constitutum, neque tamen supponunt rem constitutam, sed ad constituendum concurrunt tamquam conditiones, aut modi requisiti, neque consequuntur constitutam essentiam, sed ejus constitutivam. Et hoc secundo modo se habet privatio rectitudinis in peccato, requiritur enim ut constituatur peccatum, non postquam est constitutum, consequiturque formalem ejus rationem, et constitutum, non enim potest intelligi ordo ipse positivus, et con-

trarius virtuti, quin ex eo sequatur privatio rectitudinis, quæ omnino requiritur ut constituatur peccatum quod intrinsece est exclusivum regulationis rationis, et virtutis, et constituit actum regulationi oppositum, et ab ea obliquatum. Quod sine privatione illa non potest intelligi, quod constituatur, sicut nec homo sine negatione leonis, licet in homine sit negatio, in actu morali privatio, eo quod in quantum liber est capax rectitudinis, illique debita, sicut artefacto deformi ut picturæ, vel cathedræ, debita est commensuratio regulata, et ejus negatio, in tali artefacto privatio est.

## SATISFIT ALIIS ARGUMENTIS.

LXXXVI. Tertio arguitur: Ideo malum simpliciter consistit in privatione, et non in entitate positiva, quia si esset ens positivum, deberet esse bonum, si quidem bonum est passio entis, et sic sequeretur, quod malum in quantum malum esset bonum; ergo similiter malum morale non poterit esse aliquid positivum in genere moris, quia sequeretur idem inconveniens, quod simul esset bonum, et malum, seu in quantum malum esset bonum, et cum sit in genere morali oportet quod bonitas, quæ sequitur tale ens morale sit bonitas moralis, quia est bonitas illius generis, et sic si malum morale est aliquid positivum, et bonum, esset bonum morale, quia bonitas consecuta ad tale ens est bonitas generis moralis.

LXXXVII. Confirmatur, quia ali-quod peccatum invenitur, cujus ratio formalis consistit in privativo, ut patet in macula peccati, quæ est privatio formaliter: et similiter peccatum originale, quod est etiam macula, et privatio rectitudinis trans-

fusa ex peccato Adami in posteros. Similiter peccatum omissionis consistit in privatione actus debiti, non in positiva tendentia actus ad objectum. Et tamen in omnibus istis currit fundamentum a nobis propositum, quod habent contrarietatem ad virtutem; quod habent suas específicas differentias, quibus constituuntur, etc. Ergo si hoc non obstante salvatur in illis vera, et propria ratio mali moralis, et peccati sine positiva tendentia, cur etiam non salvabitur in peccato commissionis, etiam si ejus formalis ratio in privatione constituatur, si quidem eadem rectitudine rationis privatur peccatum commissionis, et omissionis, actuale, et originale?

LXXXVIII. Confirmatur secundo, quia formalis ratio culpæ præsertim mortalis, non sumitur formaliter ex conversione, sed ex aversione, dicitur enim peccatum mortale per recessum a Deo, et quia privat vitam spirituali. Et sic tanto gravior est culpa, quanto magis a Deo recedit, licet aliquando minor culpa possit esse intensior ex parte conversionis, sicut potest aliquis ardentius appetere libidinem, quam alius infidelitatem, vel desperationem, et tamen iste gravior peccat, quia contra majorem virtutem, et quia magis recedit a Deo; ergo aversio constituit culpam, quia ea ratione formalis culpa debet constitui, per quam habet graduari, et magis vel minus aggravari, sicut etiam in artificialibus peccatum, non consistit in tendentia positiva, sed in privatione, quia non conformantur regulis artis, ut mala grammatica, aut domus male fabricata; ergo idem erit in moralibus.

LXXXIX. Respondetur ad principale argumentum negando consequentiam. Et disparitas inter malum simpliciter, et malum morale est, quia malum simpliciter opponitur

enti, seu bono consecuto ad ens, quia est ejus passio. Enti autem ut sic nihil opponitur contrarie, et positive, quia deberet esse aliud ens, cum tamen ens ut sic omnia includat: sed solum potest enti ut sic opponi aliquid contradictorie, vel privative per non ens. Et sic malum destructivum illius boni entitativi solum potest esse privativum. At vero malum morale est quoddam speciale, et determinatum ens alteri determinato enti contrarium, scilicet virtuti, et sic potest induere oppositionem contrariam, atque adeo et positivam, et cum defectibilitate ab eo cui contrariatur. Nec ex hoc sequitur, quod simul sit aliquid malum, et bonum morale, quia in moralibus bonum non est passio consecuta ad ens morale, sed potius differentia contractiva illius, sicut et malitia. Unde non sequitur, quod quidquid in genere morali est positivum sit bonum morale (quidquid sit an bonitatem habeat in genere entis saltem identice et materialiter ex parte entitatis actus) sed datur positivum defectibile, et contrarium bono, et fundans privationem rectitudinis, et tale positivum non est bonum morale, nec enim in genere morali bonum illius generis est passio consecuta, sed differentia constitutiva; ubi autem non est hæc differentia, sed opposita, nempe malitia, non consequitur ad illam bonum morale, et sic malum positivum non est bonum.

XC. Ad primam confirmationem respondetur, illa peccata non opponi bono morali contrarie, et positive secundum se, sed solum ratione suæ causæ, aut concomitantiae, unde moralitatem participant: in se autem solum privative opponuntur formaliter loquendo, et virtualiter contrarie. Nam ommissio licet secundum se non consistat in aliquo actu, sed in privatione, et carentia

actus, tamen ommissio ut moralis, et voluntaria semper in exercitio requirit aliquem actum, vel antecedenter, vel concomitanter; quia (ut supra diximus disputatione tertia) pura ommissio non datur in exercitio, sed requirit moralis, et voluntaria ommissio aliquem actum. Ratione ergo illius habet contrarietatem positivam, sed actus iste non invenitur formaliter in ipsa omissione, sed tantum virtualiter, quia causatur ab actu, vel concomitatur ab actu, et sic ommissio virtualiter retinet id quod contrarietatis est, quia actus virtualiter remanet in omissione, quam causat. Similiter macula est effectus peccati, et privatio ex illo relicta, et ita in se formaliter non dicit contrarietatem, sed privationem; virtualiter autem contrarietatem dicit ratione actus a quo causatur, macula autem, licet sit privatio, connotat tamen positivum actum a quo causatur, sicut umbra dicit privationem lucis connotando corpus a quo impeditur, ut docet S. Thomas infra quæst. LXXXVI, articulo primo.

XCI. Eodem modo peccatum originale non habet moralitatem, nisi per ordinem ad peccatum Adami positivum, quo ipse peccavit ut caput, ejus infectionem natura participavit in omnibus membris talis capitatis, qui sunt omnes ab ipso descendentes. Sic enim ut Apostolus dicit: *Per inobedientiam unius, peccatores constituti sunt multi*. Unde eo modo macula originalis in nobis dicit contrarietatem positivam, et moralem ad virtutem, quo illa inobedientia Adami contraria fuit, sed illa formaliter habuit contrarietatem, macula autem originalis inde derivata solum virtualiter. Quare licet non omnia peccata sint formaliter contraria, et consistant formaliter in positivo, omnia tamen consistunt in illo, et contrarietatem dicunt, vel forma-

liter, vel virtualiter. Nos autem jam diximus in principio articuli, non loqui in præsentia, nisi de peccato commissionis, quod formaliter dicit posse positivam contrarietatem, reliqua virtuales, et formaliter sunt privationes. Nec est necesse, quod omnia peccata univoce, et eodem modo participant rationem peccati in modo habendi speciem malitiæ moralis, licet ab eadem malitia denominationem eandem accipiant, de quo dicemus disp. XI, et infra circa quæstionem LXXII, tractando de peccato commissionis, et omissionis.

XCII. Ad secundam confirmationem respondetur majorem aversionem semper consequi ad peiorem conversionem, et ita non sumitur gravius peccatum ex intensiori, et ardentiori modo peccandi, sed ex peiori objecto causante illam aversionem, in tantum quod peccata infidelitatis, et desperationis habent pro objecto ad quod convertuntur ipsum recessum a Deo, quatenus sibi videtur valde gravis, et tædiosus, aut non possibilis consequi, aut non veraciter testificans, vel in rei veritate non loquens nobis per instrumentum Ecclesiæ; ex qua conversione ita pessima, quæ ipsum recessum a Deo facit objectum suæ voluntatis sub quadam apparentia boni, sequitur aversio formalis omni peccato communis, quæ est aversio a lege divina, seu a Deo ut regulante et præcipiente, in hac enim aversione nunquam peccatum consistit, quia semper se habet ex parte termini a quo, seu respicit Deum, et ejus lege ut terminum a quo sui recessus. Qui autem Deum ipsum tam pessima existimatione concepit, ut materiam aversionis faciat sive in discredendo, sive in desperando, sive in abominando, habet ipsum recedere, et ipsum averti a Deo sic concepto, ut objectum, et materiam

suæ tendentiæ, et actus. Et sic semper gravitas peccati sumit ut ex peiori objecto ad quod fit conversio, prout ex ipso nata est sequi peior aversio, cum enim aversio fundetur in conversione, et in positivo non potest sequi peior aversio nisi ex peiori objecto ad quod sit conversio, et quod hanc aversionem fundat, de quo videri potest D. Thomas infra quæst. LXXIII, art. II, ut supra citavimus.

XCIII. Ad illud de defectibus artificialibus respondetur, quod si artefactum consistit in aliqua actione artificialiter tendente ad aliquod objectum, ut in actu logicæ, grammaticæ, aut musicæ, eodem modo philosophandum est sicut de defectibus moralibus, quod consistunt in aliqua positiva tendentia ad objectum dissonum arti, formatum autem alia idea erranti cui conformantur. Si autem artefactum sit non aliqua actio sed aliquis effectus ad extra devians a regula artis, talis effectus non consistit in tendentia ad aliquod objectum sicut actio, sed in deviatione, et aversione a regula debita, cum respectu tamen positivo ad aliam ideam a qua formatur, quæ debita non est, neque conformis arti.

XCIV. Ultimo arguitur: Nam illud est majus, quod magis recedit a bono, sed privatio magis recedit a bono, et positivo quia minus convenit cum illo, quam aliud positivum, quod solum contrarie opponitur. Ergo sequitur, quod quodcumque peccatum omissionis, quod in privatione consistit, aut etiam macula peccati, imo et malum transcendens esset majus malum, quam peccatum commissionis, quod tamen est summum malum. Et sic gravius offenderetur Deus omissione honorandi parentes, verbi gratia, quam odio Dei, vel infidelitate. Et cum peccatum commissionis dicat ali-

quid positivum, et contrarium erit amabile a Deo, quia aliquid positivum et bonum est, non obstante contrarietate ad virtutem, sicut amatur malum pœnæ non obstante contrarietate ad naturam, et licet sit malum respective.

XCIV. Respondetur esse majus malum, quod magis recedit a bono recessu morali, et tendentia positiva ad objectum magis distans, concedo; recessu pure privativo, aut physico, nego. Unde non sequitur quod omissio sit semper gravius peccatum, siquidem etiam gravitas omissionis in genere morali provenit ex aliquo actu, et positiva oppositione antecedente, vel concomitante omissionem. Itaque licet privativa oppositio absolute, et pro genere entitativo sit major, tamen pro genere morali magis conducit contraria in peccatis, quæ consistunt in actu, eo quod positiva, et contraria tendentia est aptior, imo necessaria ad tendendum in objecta, et sic hauriendi, et accipiendi ab ipso malitiam, et pravitatem. Hoc autem pertinet ad genus morale, ut malitia habeatur, et sumatur ab objecto, eo quod fiunt homines abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt. Quare in genere, et linea morali magis opponitur, et minus convenit cum regulis morum positiva, et contraria oppositio, et tendentia, quam privativa, quia illa opponitur eo modo, quo requiretur ad moralitatem actus, scilicet accipiendi indebitum finem, et ejus malitiam objectivam hauriendo, et fundando privationem, et carentiam debitæ rectitudinis in actu, quam sola, et nuda privatio, quæ tollit rectitudinem quasi physice, non autem moraliter, nisi per ordinem ad aliquam tendentiam, et respectum voluntarium ad objectum. Unde non sequitur, quod pura, et sola omissio sine ordine ad actum antecedentem, aut comitantem,

vel etiam malum transcendente sit peius peccato commissionis, et oppositione contraria.

XCVI. Et cum dicitur, quod hoc positivum amabitur a Deo, quia bonum est, respondetur amari a Deo illud positivum eo modo quo causatur, scilicet quatenus effective se habet a Deo, non quatenus defective, et contrarie. Nec est simile de contrarietate pœnæ, quæ etiam est malum respective; dicimus enim, quod ejus contrarietas non est moralis, et defectiva per ordinem ad finem indebitum, et fundantem recessum a Deo universali fine, sed solum est contraria particulari naturæ sustinenti pœnam. Quod autem habet contrarietatem solum ad aliam particularem naturam, cui opponitur, non autem universali bono a cujus lege, et regula avertit, diligi potest a Deo, quia in se est quædam particularis natura, licet opposita alteri, et sic etiam a Deo est, et diligi potest, sicut calor, et frigus diliguntur licet sint contraria, non vero peccatum, seu malum morale.

## ARTICULUS III.

*Utrum privatio resultans in peccato sit privatio rectitudinis debitæ ipsi actui?*

I. Tres sunt sententiæ in hac parte. Prima docet non omnem actum malum habere privationem rectitudinis sibi debitæ, sed dicunt aliquas esse actiones ita malas, et contrarias bono, ut non sint capaces aliquis rectitudinis, sicut furtum, homicidium, odium Dei, etc. Et sic has privationes in ipsis esse puras negationes. Alias vero actiones esse non omnino contrarias bono, sed solum deficere ratione alicujus circumstantiæ, vel per puram omis-